

Neque cavilletur hic quispiam compositum generari et corrumphi, non autem formam. Esto enim hoc Aristotelicum dogma, illud Platonicum est. Utrum autem verius alibi discutietur.

- Intellexisse autem Platonem aliud esse materiam, aliud corporum locum verba statim sequentia indicant:⁶² *Ad quod et somniamus et dicimus necesse esse alicubi*, si ergo materia est ποῦ, alicubi, non sane ipsa locus fuerit, deinde:⁶³ *Universum ergo in aliquo loco et occupans regionem aliquam*, universum intelligens ipsum sane compositum ex materia et forma, quod sit in aliquo loco, non ergo materia locus est. At eadem metaphora dicta est hic materia a Platone, regio et locus formarum generabilium, qua ab Aristotele et aliis 3. De anima capite 4:⁶⁴ *animam esse locum formarum*. Maligne ergo et longe a Platonis mente detorta haec ab Aristotele fuerunt et falso relata.
- Falsa quoque illa sunt primo De anima capite 2. relata:⁶⁵ *Eodem modo in Timaeo Plato animam ex elementis facit*. Non enim eodem modo, quo Empedocles, de quo proxime loquebatur, Plato animam ex aqua, aere, terra, igne facit, nihil enim tale in Timaeo scriptum est. Neque animam aut hisce aut aliis ullis elementis conflat neque enim ex essentia, eodem, altero, motu, statu, quae in Sophista entium principia atque elementa esse exposuerat, animam effingit in Timaeo. Sed ex *impartibili*, ἀμεροῦς, et *partibili*, μεριστοῦ, ex *eodem* et altero, ταυτοῦ, θατέρου, universi animam constituit atque ex eorundem reliquiis, eodem in cratera humana format, haec autem *essentias*, οὐσίας, non autem elementa aut principia appellat, neque Simplicius ad eum Aristotelis locum neque Philoponus Timaei sententiam recte aut assequuntur aut interpretantur.

⁶² πρὸς δὲ δὴ [δὲ] καὶ ὄνειροπολοῦμεν βλέποντες, καὶ φαμεν, ἀναγκαῖον εἶναι που. [PLATO, Ti. 52.b.3 – 4]

⁶³ τὸ δὲ [οὖν] ἄπαν ἐν τινι τόπῳ καὶ κατέχον χώραν τινά. [PLATO, Ti. 52.b.4 – 5]

⁶⁴ τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν. [ARIST. de An. 429a.27 – 28]

⁶⁵ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐν τῷ Τιμαίῳ Πλάτων τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ. [ARIST. de An. 404b.16 – 17]